



Non tantum in Te, Vir Generose, sed in totum etiam Orbem Literarium paulo curiosiorem injuriosus essem, si periculum Te svadente, Teque adjuvante nondius decimus factum publici juris facere, ulterius differrem. Nihil jam dico de lauto, quo me in prædio Tuo eleganti excipiebas prandio, deque jucundis rem Oeconomicam, nec non Mathematicam concernentibus colloquiis, quæ tunc à Te longo rerum usu, & cum exteris regiones visitares, experientia edocto movebantur.

§. 2. Sed sine ulterioribus ambagibus, quid in mari hoc tempore congelato egerimus, exponam. Nosti ante multos annos me ex muliere quadam in nostro portu tempore hyberno ex aqua marina lavante lintea, audivisse, aquam marinam eo tempore, quo glacie premitur, sale destitutam esse.

§. 3. Nuper etiam ex Piscatore mytilos sive musculos marinos per foramen glaciei ex fundo maris extrahentem, cum de falsedine aquæ marinæ ipsum percontarer, audivi, ipsum cum aliis credere; omnem aquam marinam sub glacie latitantem salis expertem, & instar fluvialis dulcem esse.

§. 4. Sapius ergo de hujus dulcedinis causa sollicitus fui, nunquam tamen alias, nisi hac satis frigida & constante hyeme in mentem venit, non tantum, an salis aliquid in aqua frigore compressa relictum; sed etiam, si aliquid super esset, ad quem profunditatis gradum demersum esset sal marinum, tentamen instituire: nec etiam facile rem hanc aggredi ausus fuisset, nisi Tu, Vir Generose, mihi non tantum stimulos addidisses, sed etiam subsidia & opem ferre promisisses.

A 2

§. 5. Die

2. 1. 1. 2